

*faciem Moſis, & faciem* ſeu perſonam *Chriſti* Mediatoris: utramque ſplendentem, *illam* corporali ſplendore, quo donabatur ex familiari converſatione cum Deo: *hanc* ſpirituale luce colluſtratam, tanquam filii Dei unigeniti; prout alias *Ebr. I, 3.* Chriſtus, ultimis diebus, ut interpres Patris, in mundum miſſus, dicitur ἐπ'ἀύρασμα τῆς δόξης *effulgentia gloria Dei*, ſeu is, in quo reſplendet gloria illa ac majeſtas divina, alioqui inconſpicua & incomprehenſibilis: & ſic potro *faciei Moſis* ſplendentis quidem, ſed *velata*, opponit Paulus *Chriſti faciem* ſeu perſonam ſplendentem pariter & *reſectam*: reſectam autem dicit in *Evangelio gloria Chriſti*, qui eſt imago Dei, I. c. II. *Cor. IV, 4.* ſeu, quod idem eſt, in doctrina de Chriſti perſona & officio, quæ non ſolum perſpicue, ſine involucris typorum aut obſcurorum vaticiniorum, velut nude proponatur ſed & efficax ſit ad *illuminanda corda hominum & conferendam agnitionem gloriae Dei in facie Jeſu Chriſti*, ib. v. 6. ita ut omnes, quibus Evangelium illud prædicatur, eo perducantur & perducantur, niſi qui corda ſua patiantur a Satana excæcari, ne illuceſcat in illis lumen; quod alias ipſos illuminaturum foret. His ita habentibus, (2) ulterius opponit Paulus *velatis Judæorum cordibus*, ſuam & aliorum ſui ſimilium in N. T. *faciem reſectam*, qui velamine ſervitutis & ignorantiae a facie cordis remoto, in libertatem aſſerti ſint, ac divino ſplendore ex facie Chriſti in ſe reſuſo colluſtrati. Quam in rem B. David Rungius breviter ac eleganter ſcribit: *Judæi reſectam Moſi faciem intuentur, ipſi nihil meliores ab ipſo facti, ſed magis excæcati; ſed nos reſecta facie, tanquam liberati a ſervitute, ſublatoque velamine tenebrarum mentis, intuemur non faciem Moſis, ſed δόξαν Κυρίου, hoc eſt, Chriſtum Jeſum, qui eſt gloria aterni Patris,* *Diſp. IV. in II. Epist. ad Cor. ſub finem Expl. Partis III.*

XXXIV. Quod ſi nunc etiam ſignificationem & emphāſin vocis κατ'ὀπτιζόμενοι investigemus, quanquam negari nequeat, non eodem modo ab omnibus intelligi, tamen & originem vocis & uſum loquendi & contextum præſentis loci ad unam certam interpretationem conſpirare credimus. Scilicet

cer